



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vitae Sanctorvm**

complectens sanctos Mensium, Aprilis, Maii & Ivnii

**Lippeloo, Zacharias**

**Coloniae Agrippinae, 1603**

Vita S. Nortberti, Episcopi Magdeburgensis, & primi auctoris Ordinis Præmonstratensis. ex ea, quæ est ab Hugone, in regimine monasterij successor eius, syncerißimè conscripta. Obijt diem anno Domini ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42716**

C. Baron. in  
not. martyr.  
Romani.

## VITA S. NORTBERTI, EPISCOPI

Magdeburgensis, & primi auctoris Ordinis Præmonstratensis, ex ea quæ est ab Hugone, in regimine monasterii successor eius, sincerissime conscripta. Obijt diem anno Domini 1134. numeraturq; Sedis Magdeburgensis, decimus quintus Episcopus.

6. Iunii.

**R**egnante Hérico iuniore Cæsare Augusto, Paschali verò Summo Pontifice, Sedis Apostolicæ regimen administrante, anno restauratæ salutis 1115. Nortbertus illustri Francorum & Germanorum ortus prosapia, vir eximia & animi & corporis indole, summo Dei beneficio à miserabili errore, certoque æternæ vitæ periculo, in quod cæca mente, & iuvenili furore adolescens ruebat; ad rectum salutis iter reuocatus fuit. Natus fuit, patre Heriberto, matre verò Hadevvige, in municipio Xanctis, quod antiquitus Troia dicebatur: cumque haud ita seuera disciplina à suis educatus fuisset, atque ab ipsis incunabulis profanos admodum hausisset mores, adultæ iam ætate, primo quidem ad Fridericum Coloniensem Archiepiscopum se contulit. Inde verò in aulam Imperatoris concessit. Cuius egregius huius seculi, & inclitus Babylonæ colonus: religionis & quietis impatiens, inquietudinis autem & impatientiæ servus, per vias difficiles & laboriosas semper vadens & nunquam rediens; errans & nesciens, vagus & profugus fluctuans nec sentiens, periclitans & securus, exhaustiens ventum & aucupans vanitatē. Tandē verò summa animi ægitudine, quæ ex istiusmodi voluptatū nausea contraxerat, affectus, pedē ab aula retraxit, ac domi desidens

Parētes eius,

Est in honore apud principes.

expe-



expectabat. & quasi tyrocinia quædã futuræ conversionis exercēs, apud se dispōbat. & quicquid paupertatis, quicquid afflictionū, quicquid certaminū accidere posset, infatigabili præmeditatione levabat.

Imbut<sup>9</sup> itaq; novā interioris virtutis gratia cū dies instaret, quo sacri ordine foret in ecclesia ex more celebrādi vir Dei pia exultatione replet<sup>9</sup>, festināter Fredericū Archiepiscopū ad se adducit: ad pedes p̄cidēs, cū lachrymis & gemitu, peccatorū suorum veniā postulās omnia sua cōsilia & cogitationes, de imitatione Christi exposuit. Deindē, ne se à sacrorū Ordinū cōmuniōe repelleret, rogavit. Antistes vehemēti admiratiōe cōmōt<sup>9</sup> primo cōticuit. Cūq; vir Dei vehemēti<sup>9</sup> instaret, & precib<sup>9</sup> lachrymisq; vim inferret, Frederic<sup>9</sup> agnita virtute dextere excelsi, adē annuit, certū omnipotentē Deū præclarū aliquid p̄ eū moliri.

Interim adueniēte die Ordinationi prælitato inter alios Norbert<sup>9</sup> corporis ornatu elegātiſſimus aduenit, cūctis spectaculo rei novæ cōmōtis. Cumq; custos sacrarij sacras ei vestes offerret, ille, in cuius pectore Spiritus sanctus iā templū sūū inchoauerat, astāgi sibi famulo annuit, ut vestem pelliceam agnā, quā ad huiusmodi opus preparari iusserat, depromeret. Qua recepta, cūctis ad spectaculum auidē cōfluētib<sup>9</sup>, indumentum miræ æstimationis magnæque pretij quo indutus erat, reiecit, vesteque vilissimā, & loci illius hominib<sup>9</sup> prors<sup>9</sup> insolita, sese alacer induit. Tunc ad sacrarij custodem, manum conuertens, oblatis ornamentis, ad sacros Ordines ritē suscipiēdos se cōposuit. Sacris ergo omnibus initiat<sup>9</sup> ne pallio ten<sup>9</sup> philosoph<sup>9</sup> foret, omni sibi ope emendū putavit, ut illa exterioris humilitatis indicia, ad

Hæc est mutatio dextera excelsi.



Degit ali-  
quamdiu in  
Sigebergensi  
monasterio

cia. ad intimos animi recessus transferret. Con-  
festim igitur ad Sibergense monasterium, quod  
tunc opinione sanctitatis celebre habebatur, se-  
se contulit, ubi diebus admodum quadraginta,  
diuinum numen intenta supplicatione propiti-  
are sibi non destitit.

Cum multo  
feruore, co-  
cionatur a-  
pud Xanten-  
ses.

Indè domū reuersus, sacro presbyterij mune-  
re apud suos Xātenses (erat enim maioris Eccle-  
siæ canonicus) sanctissimè fungi cœpit. Cum ve-  
rò die quodam celebriori Decanus ceterique  
vrgerent, vt sacra Missæ mysteria perageret, pa-  
suit ille; sed ubi lecto Euangelio, ad oblationem  
pergendum erat, zelo quodam diuini feruoris  
mirabiliter accensus, ad ecclesiæ vestibulum  
se conuertit, ibidemque luculenter, conuocata  
concione, de breuitate vitæ huius, eiusque vanis  
& perituris gaudijs differuit. Post hæc verò  
non destitit palàm, priuatim, opportunè impor-  
tunè, corruptos hominum mores, & præcipuè  
canonicorum corripere, hortarique omnes, vt  
datum sibi tempus, ad negotiationē salutis æter-  
næ diligenter expendere.

Lidulphus  
eremita.

Cum autem multas propterea insidias & per-  
secutiones pateretur, iterum se ad Sibergense  
coenobium conferebat, aliquando verò ad ca-  
nicorum monasterium, cui Roda nomen est. Se-  
pius autem ad Lidulphum, quendam miræ san-  
ctitatis & abstinentiæ virum, eremiq; cultorem  
insignem; ad quos ideò diuertebat, quotiescun-  
que persecutiones patiebatur ab his quibus ver-  
ba veritatis, erāt molesta, vt fessum spiritum re-  
crearet, & sanctæ vitæ addisceret instituta ac  
spei cælestis suscipere incrementa. Inde rur-  
sus ad intermissum prædicationis munus re-  
dibat. Et quia diuinæ gloriæ, salutisque omnium  
mirè



mirè studiosus erat, ne quid impedimento esset, quo minus liberè diuini verbi semina spangere, & vberes indè fructus colligere posset, primò quicquid, beneficiorum & reddituum, quibus plurimùm abundabat, in ecclesia consecutus fuerat, Archiepiscopo resignauit: paternamque hereditatem, cum lautissima suppellectili pauperibus benignè diuisit, nihilque sibi ex omnibus, præter decem marcas argenti, & mulam reseruauit. Hoc tam exiguo viatico instructus, exemplo Patriarchæ Abrahamæ, spontaneam adiit peregrinationem. Cumq; ad castrum quoddam Hoyû super Mosam fluuiû situm peruenisset, ibi quidquid habuit pecuniarum, totum in Christi domini gratiam pauperibus distribuit. Indè rectà ad Gelasium Papam, qui Paschali successerat, contendit: cui cum animi sui propositum, magna animi submissione panderet, Pontifex viri sancti ingenio & moribus delectatus, eum secum retinere voluit. At Norbertus, ne id fieret, qualiter seipsum in aulis regum, ac pompis pontificum lasciuiendo dissipasset, exposuit; orans atque obsecrans, vt quod reliquum esset, in studio penitentia, & salute proximi procuranda exigere cederet. Pontifex igitur visa hominis constantia & animi ardore, publico diplomate, euangelij munus ei confirmauit. Quo fretus, Norbertus, nudo pede, tunica lanea indutus, sine tecto, sine certo domicilio, in opus euangelij tota mente ac virtute incubuit. Tanta enim meti eius in Deum inerat fiducia, tanta charitas, vt nec frigoris asperitas, nec inedia, nec corporis lassitudo, ab eo, quod coeperat illum reuocaret.

Cum igitur lætissima Euangelij sata ubiq; seminaret, tadem Valencenas delatus, vnum ibidè è Burchar-

Abdicat beneficia ecclesiastica.

Vendit omnia sua.

Pontifex Gelasius ei facit concionandi potestatem.

Venit Valencenas.



Hugo se ei  
adiungit.

Pacis est stu-  
diosissimus.

Vide mira-  
culum.

Gelasius Pa-  
pae moritur  
& Calixtus  
succedit.

est Burchardi Cameracensis episcopi familia, suae  
predicationis comitem inuenit. Is erat Hugo vir  
iam ante miro religionis studio incensus, qui sa-  
ne fidelem se diuini verbi ministri exhibuit. Eo  
adiutore multo ardentius in Euangelij munere ver-  
sari coepit, prorsus ut non tamē māuetos humiles-  
que & ad studiū pietatis sua sponte propēsos sed  
feros quoslibet & barbaros homines aggredi nō  
dubitauerit, ut instar boni agricolae, nō tantū re-  
ctas, & fructuosas arbores, sed etiam deprauatas  
excoleret. In primis autem pacis conciliandae  
fuit studiosissimus, tantaque solertia, in mor-  
taliū animis, à discordia ad unitatem tradu-  
cendis, ut ubicunq; pedem poneret, homines il-  
lum, ut pacis & concordiae angelū veneratētur.  
Et sanē quos rationibus à veteris odij rixis reuo-  
care non poterat, diuina virtute, vel inuitos à  
tetra peste liberabat. Cum aliquando in villa  
Cobrois, de pace & concordia ad populum verba  
habuisset, fuit à concione quidam ad eum de-  
latus, quem inuidiae rabies miserē confecerat, qui  
tamen viro sancto optimē monenti, nullo mo-  
do aures praeberere volebat. Imò cum acriori ver-  
borum stimulo premeretur, foras exiliens, equū  
ascendit. (miles enim erat) ut fuga se à conspe-  
ctu viri sancti proriperet. Sed cum ad motus e-  
quo calcaribus, fugam tentaret, equus in ipso ve-  
stigio immobilis perstitit, prorsus ut omnium  
cachinnis miser exciperetur. Northbertus in-  
terim precibus insiltebat, ad quem reuersus sup-  
plex miles, scelus suum agnouit, prostratoque  
in terram corpore, veniam petijt.

Hoc eodem anno qui fuit seculi istius 1188 Ge-  
lasius Pontifex Maximus vita functus est, in cu-  
ius locum, Calixtus Viennensis antistes, summo  
omni-



omnium Patrum consensu, substitutus est; qui cognita Nortberti probitate, ac vitæ sanctimonia voluit eum ecclesiæ B. Martini, quæ in suburbio Laudunensi sita est, cum potestate præesse. Quod munus obedientiæ cum subterfugere non posset, admisit quidem; sed cum degentes ibidem canonicos, vita & moribus dissolutos, ad severiorem disciplinam reuocare non posset, noluit ibidem diutius oleum & operam perdere, neque tamen loco excessit, sed priuatis pietatis operibus, strenuè sese die nocteque exercens, Pontificis voluntatem præstolabatur.

Interea Bartholomæus Laudunensis antistes, hominem quibuscunque modis poterat fouere, & quotidianis precibus fatigare non destitit, ut aliquem sibi manendi locum in Laudunensi episcopatu ex omnibus eligeret. Circumducebat eum quotidie si quæ fortè ecclesiæ, si qua solitudo, si qua terra culta vel inculta arrideret. Viçtus tandem ipse, & aliorum precibus, locum valde desertum & solitarium, qui ab incolis antiquitus Præmonstratum vocabatur, delegit. Transacta igitur hyeme, vir Dei Camera-cum abiit, ut ibidem pro more, diuini verbi semina iaceret. Ibi verò cum sacri verbi semina diffunderet quidam egregia indole iuuenis Euermodus statim relictis omnibus, ei adhæsit, tamque intimo amoris vinculo ei colligatus est, propter admirabile virtutū eius studiū, ut non nisi mortis violētia, se ab eo separari passus sit. Perueniens deinde Niuellam, alium quendam paripietate ac virtute iuuenem Antonium inuenit, qui similiter in eius disciplinam, magno spiritus ardore concessit. Hi duo & tertius, quem prius receperat, radices & fundamentum fuere futuræ multi-

Præmonstra-  
tum sibi de-  
ligit vir Dei

Quidam se  
ei adiungūt.



Initium or-  
dinis Prae-  
monstraten-  
sis.

rae multitudinis, quae paulatim subsecuta est. Ante verò quam Niuella discederet, procacem demonem è puella duodenaria, quam miserè valde exagitabat, eiecit.

Vir Dei ve-  
nit Coloniam.

Indè Coloniam abiens, fuit honorificè admodum à clero, populoq; vniuerso exceptus. Deceuerat ibidem vir sanctus, fratribus suis ali-quod pietatis domicilium erigere, illudque san-ctorum reliquijs, quarum scèlix Colonia diues est, quàm decentissimè exornare. Hac de causa ipsum Archiepiscopum adiit, qui ei benignè omnia concessit, & auferendi reliquias potestatem fecit. Qua obtenta, indicto suis ieiunio, diuinam opem instàter implorauit, vt preciosa virginù & martyrum corpora, quae varijs in locis abdita nò dubitabat, ostendere dignaretur; & ecce nocte vna, virgo quædam, ex numero vndecim millium, cuidam per visionem & nomen & locum vbi iacebat, designauit: quod manè integrum inuentum est. Sequenti verò die, Nortbertus diuinitus admonitus, in medio monasterij, S. Gereoni martyri sacro, vbi nullum alicuius sepulchri patebat vestigium, terram aperiri præcepit, vbi corpus S. Gereonis nobilissimi martyris integrum, absq; cerebro repertum, honorificè & cum omni diligentia collocatur. Susceptum est itaque corpus cum festiuo gaudio, & honore, tanto martyre digno, parsq; inde viro sancto data, quod reliquum fuit magnificè à clero & populo repositum. Assumptis, non diu post reliquijs, collectoq; fratrù collegio, quos Deo prædicationis verbo genuerant, reditum maturauit. Cumq; iam nominis celebritate vbique clarus, Namurcum veniret, nobilis Comitissa Ermenfendis, eum excipiens, villam ei Floreffiam obtulit, vt eam religioni consecra-

Monasteriū  
Floreffia.



consecraret, & monasterio diuino cultui accom-  
modato, exornaret. Accepit vir sanctus piam ma-  
trona voluntatem, egitq; ut debuit, gratias, ibi-  
demque altero reliquiaru vasculo relicto, Præ-  
monstratum festinauit.

Adunatis igitur clericis ferme quadraginta,  
& laicis quā plurimis, visum est viro sancto, de  
stabilenda religione quā maximè ad Dei glo-  
riam animarumque salutem consulere. Ad eam  
quippè diem communi tantum officio ac pieta-  
te ducti, sine certis ac proprijs legibus vixerant.  
Ergo precationibus, ieiunijs, & sacrificijs, in eam  
rem quam accuratissimè adhibitis, placuit post  
alias atque alias consultationes, nominatim in  
regulam beati Augustini iurare.

Interea pium hoc religionis institutum maio-  
rem in modum crescere cœpit, multique certa-  
tim ad militiam spiritalem, Nortberto nomina  
dederunt. Cumque locus ille planè incultus, ar-  
bustis, & paludibus, & cæteris incommodis oc-  
cupatus, multis horrorem incuteret, suaque as-  
peritate Dei famulos terreret, Nortbertus inten-  
ta supplicatione, diuinam mentem consuluit, ut  
alium quendam ædificandæ magis idoneum o-  
stenderet; & ecce per visionem, eo in loco vbi  
nunc ecclesia sita est, Christus in cruce pendens  
apparuit: ad quem ex quatuor mundi partibus,  
innumerabilis peregrinorum multitudo conflu-  
ere videbatur. Loco autem hoc modo cælitus ad  
ædificandum assignato, mox vir sanctus funda-  
menta iacere, & architectos operi necessarios  
præficere non distulit: ut dum ipse ad exterâ  
loca, animarum saluti daturus operam excur-  
reret, illi sine intermissione operi instarent. Sed  
accidit ut dæmon his tam foelicibus successib;

Amplecti-  
torem suis  
regulam S.  
Augustini.

Viso de Præ  
monstrato.

M m m

inuidens



*Dæmon eos  
infectat qui-  
busdam præ-  
stigijs.*

*Vide vim a-  
quæ sacratæ  
& S. Crucis.*

*Simplicio-  
ribus qui-  
busdā, illu-  
dit dæmon.*

inuidens, insidias fratribus moliretur. Ipsa meridiana luce, dū quisque pro viribus labori incumberet, ecce tibi armata phalanx (dæmonum hoc præstigium erat) in eos impetum facit. Illi verò non segniter ad resistendum se comparant, arreptisque quæ fors offerebat armis, irruentes repellere conantur. Cumque diu multumque certatum esset, alij quidam fratres aliundè venientes, quorum oculi ijs præstigijs minimè tenebantur, illos insania correptos existimabant. At illi qui pugnabant, an non aspicitis, aiunt, quanta nobis vis ab inimicis inferatur. Iam penè in frustra concisi, summo cum dedecore morimur, & vos insaniam esse dicitis? Tunc fratres scientes eos infestatione dæmonum illudi, aquam benedictam sparserunt, signoque crucis, malignorum spirituum turbam in effusam fugam compulerunt.

Sed quanquam hoc modo victi è prælio excidere cogerentur, nequaquam tamen victoriae spem abiecerunt: sed novis semper insidijs, præcipuè idiotas simplicioreſque aggressi sunt. Et quidem nonnullos, quos per carnis illecebras arctius aliquando possederat, falsa suæ illusionis sapientia ita replerunt, ut qui prius literarum planè rudes, ne legere quidem nouerant, iam ex libris magna quædam dicerent: & quasi prophetico afflati spiritu, stupenda prædicerent. Et sanè eo usque progressa erat dæmonis arrogantia, ut in angelum lucis mirè transmutatus in publica concione sermonem ad eos instituere non dubitaret. Et tamen miseri diuinitus se afflatos esse putabant, dæmonumque præstigias diuinæ virtuti impiè ascribebant. Hæc autè omnia viro sancto absente, & Euangelij operi intèro acciderunt:



tunt: cuius aduentu & dæmonis fraudes dissipate, & obfessa ab eo corpora liberata sunt.

Inter hæc fama viri Dei rerum gestarum gloria admodum celebris, longè lateq; percrebruit, & ad aures Godefridi Comitis VVestphalię peruenit. Is sanctitate viri permotus relictis omnibus, in eius disciplinam se tradidit. Certamen ingens. Vxor, frater, cognatique omnes, eius proposito se opponebant: ac totis viribus reluctabatur. Sed cum ille monitis Nortberti instructus, egregiè pugnam sustineret, non modò vxoris vitæ blanditias, sed fratrem etiam adedè permouit, ut leonino deposito furore, vna cum illo religionis habitum susciperet.

Post hæc Nortbertus ut Pontificis diplomate, institutam à se religionem firmaret, Romam profectus est; ubi à Papa Honorio honorificè susceptus, quidquid iustè petijt ab eo, liberaliter admodum impetrauit. Indè verò Herbipolim iter habuit, quæ ciuitas, pastore tunc temporis orbata, magno in luctu versabatur. Aduentu autem viri sancti nonnihil recreata, petijt ab eo ut missam celebraret, hostiasque Deo pro quadam utroque orbato lumine, offerret. Paruit ille, & ecce mulier peracta oblatione accedens, afflaturis eius, visum recepit.

Post hæc vir sanctus maioribus indies miraculis clarescens, ad Antuerpiensem ecclesiā gubernandam euocatus fuit, quæ propter pastoris sui negligentiam, & mores planè corruptos, per præceps in vitia ruebat, & per multos errorum anfractus, miserè deuiabat. Quæ occasione arrepta, iudiciorum quidam, & miræ subtilitatis hæreticus, Tanchelinus nomine, in eadem gente locum suæ imposturæ inuenit. Is cum ex occasione

Comes, quidam cōuertitur, & fit monachus.

Romæ, vir sanctus, honorificè à Pontifice excipitur.

Cæcæ restituit lumen.

Venit Antuerpiam vis sanctus.



Tachelinus  
execratus  
hereticus de  
mentat An  
tounepien-  
tes.

in hominum coetus sese infereret, verbisq; vena-  
tis clericorum vitam ac mores summam in inui-  
diam vocaret, & sacrosancti corporis & sangui-  
nis Domini nostri Iesu Christi perceptionem ad  
salutem prodesse negaret. eò demetia populum  
pertraxit. ut lotiones eius biberent, & reliquiarū  
loco absportantes, recondere. Præterea filias,  
in matrum præsentia, sponsasq; maritis videnti-  
bus corrumperebat, eosq; infoelices dicebat, qui  
huic nefariae coniunctioni misceri non meruis-  
sent. Hæc autem detestanda hominis impostura,  
tam altas radices egerat, ut ne post mortem qui-  
dem eius extirpari posset: licet duodecim cleri-  
corum congregatio, ab episcopo in subsidium sa-  
cerdotis, qui solus in ecclesia, D. Michaeli sacra  
verlabatur, instituta esset. Tum verò clerici eui-  
denti necessitate compulsi, patri Nortberto, eius-  
q; fratribus, summa Episcopi voluntate, hanc ec-  
clesiam, cum quibusdam redditibus, tradiderunt:  
confidentes, quòd Deus eorum meritis, mortife-  
ræ pestis auferret sæuitiam, & depulsis ignoran-  
tiæ tenebris, lumen veritatis repararet. Suscepta  
est ecclesia, & clerici eodem in oppido aliā vir-  
gini Matri sacram ædificauit: quarum utraque  
in hodiernum vsq; diem Dei seruitio mancipata  
permanet. At Pater Nortbertus assumptis fratrib.  
& pietate & eruditione præstantibus, mortifero  
vulnere, salutare medicamentum adhibere cœ-  
pit, breuiq; Deo bene iuuante pestem ita proflig-  
gavit, ut homines vtriusq; sexus plurimi luctu la-  
chrymisq; ob contractas animi sordes defor-  
mati, sacrosancta corporis & sanguinis Domini  
mysteria, quæ in cistis & foraminibus, per de-  
cem aut quindecim & eo amplius annos abdide-  
rant, viro sancto tum dæmum proderent.

Ecclesia bea-  
te marie, ex-  
truitur. An-  
tounepien-  
tes.

Cum



Cum aliquando noctem totam insomnem orando transegiſſet aſtitit, retrò eum ſatham horribilis viſi aspectu, dēribus & vngulis impetum in eum faciens. Cumque primò quidem expaueſceret mox tamen cognitis perſecutoris ſui inſidijs, in fugam eum virtute diuinorum verborum compulſit.

Per eos dies religione optimè iam ac firmiſſimè conſtituta, vt ſanctiſſimam Chriſti fidem ſatius propagaret, fratribus ſuis vltimùm vale dixit, certamque pecuniæ ſummam, quæ in alimenta centum viginti pauperum ſufficeret, dono dedit; idque eam ob cauſam, quòd aliquando fratribus iuſſerant, quòd ſe abſente quingentos pauperes extremæ famis tempore, alendos ſumpſiſſent. Eam offenſionis notam, culpamque vt expiaret, poſteriſque beneficentiæ exemplum relinqueret, ſtatuit aſſignata certa pecuniæ portione, præſatum numerum perpetuò ibidem alendum. Hoc poſtremo virtutis exemplo ſuis relicto, iter ingreſſus eſt; ac primò Spiram delatus, inuenit Saxones, & Clericos Parthenopolis ciuitatis, coram Lothario rege congregatos, vt Archiepiſcopum, Parthenopolitanis patre orbatis, eligerent. Nec longa fuit conſultatione opus, cum protinus aduenienti Nortberto omni ſuffragijs, volenti nolentique, ea dignitas obtruſa eſt. Cumq; vir ſanctus graui dignitatis ſarſina onuſtus ad ſedem duceretur, conſpecta procul ciuitate, ilicò detractis ſibi calceis, nudis pedibus incedebat. Indè cum iam ad aulam ventum eſſet, & alij viri principes magno veſtium ſplendore fulgentes, ingrederentur, Nortbertus vili amictus pallio, ab oſtuario non agnitus,

M m m 3

repul-

Liberaliter  
Præmonſtra-  
tentium in  
pauperes.

Creatur vir  
Dei Made-  
burgi Epi-  
ſcopus.

vide Sancti  
viri humili-  
tatem, in tã-  
to honore.



repulsam patitur. Dicebat enim: iam ingens pauperum numerus intromissus est, non decet, ut te importunè ingeras, & principem antè alios locum præoccupes. Hæc cum alij ponè sequentes cernerent, magnis vocibus ianitorem increpare coeperunt, & illum ipsum quem repellibat, antistitem esse clamabant. Tum ille confestim fugiens, latitabat, patre Nortberto eum reuocante, & subridendo, dicente. Ne fugias, mi frater. Melius enim me nosti, & perspicaciori oculo intueris, quàm illi qui ad tam alta palatia me compellunt, ad quæ non debueram, qui tam pauper & abiectus appareo, sublimari.

In eo igitur honoris fastigio constitutus, mox animum ad dissipata, & à principibus per fas perque nefas occupata ecclesiæ bona colligenda appulit; quo haberet vnde pauperum necessitatibus, pro viribus (sicut decet episcopum) subueniret. Hic quàm ingentem molestiarum cumulum deuorauerit, dictu est difficile, cum ij qui prius immensis laudibus eum extulerant, tunc propter sacram auri famem, vituperijs & impropertijs deijcerent. Sed nihil mouebant virum sanctum improborum calumniæ; qui sua constantia non modo direptas ecclesiæ possessiones recuperauit, sed amotis etiam clericis (quorum vita ab omni spe melioris frugis longè aberat) ordinis sui fratres in ecclesiam, cui præsidebat, introduxit; perpetuisque temporibus Dei cultum, ab ijsdem ibidem prosequendum constituit. Fremebant interim Saxones, fremebant Parthenopolitani, ac diris odij & inuidiæ stimulis concitati, nefaria de eius morte consilia captabant.

Aderat

Aderat  
Christo  
quo hom  
tram cor  
dam sub  
piscopu  
iterum  
populi  
antistiti  
ferre, sub  
quo indu  
vtraque p  
sancto ne  
armatus  
nefandæ  
Dei se ab  
viris qui  
ductum e  
cie & vul  
antiquus  
molitur,  
put nostr  
gredi non  
Alia  
nefarius,  
rem peti  
eo vulne  
ci rabies  
populum  
concitau  
rebus inc  
suros cla  
tis, ut ip  
liaffent. F  
de viro



Aderat dies memoria ultimæ illius cœnæ à Christo cum discipulis peractæ celeberrimus, quo homines contractas animi sordes per sacram confessionem eluere solent; cum ecce quidam sub specie pœnitentis, pallio amictus ad Episcopum intromitti postulat. Cum q̄; semel atq̄ iterum repulsam passus esset, tandem cum alia populi multitudine irruit. Sed mox ut cōspectui antistitis oblatum est, iussus pedē ulterius non inferre, substitit. Tum aduocatis ministris, pallio quo indutus erat spoliatus est, sub quo cultellū utraque parte acutum abdiderat, ut eo ipso viro sancto necem inferret. Quæsitus deinde cur sic armatus venisset, tremens stupensque (utpotè nefandæ crudelitatis sibi conscius) ad pedes viri Dei se abiecit, seque ad necem illi inferendam, à viris quibusdam primarijs, promissionibus inductum esse confessus est. At vir iustus, hilari facie & vultu sereno: Quid mirum, inquit, si hostis antiquus per instrumentum suum hæc in nos molitur, qui in hac sacratissima nocte, ipsum caput nostrum, Christum Iesum, iisdem insidijs aggredi non dubitauit.

Alia verò quadam nocte, Clericus quidam nefarius, ex insidijs eum ad diuina properantem petiuit, sed errore decēptus, alium pro eo vulneribus concidit. Neque hūc tamen inimici rabies conquieuit, sed nouo quodam furore populum vniuersum aded in virum sanctum concitauit, ut stricis gladijs diuinis in templo rebus intentum peterent, seque non prius recessuros clamitarent, quàm pontificem suum mortis, ut ipsi dicebant, reum vita ac dignitate spoliassent. Hic autem tantus populi furor, ex sparsa de viro sancto calumnia originem traxerat:

Mmm 4

quod

Sicarius specie pœnitentis immittitur ad cœnam virum Dei.

Seditio populi, excitatur in virum Dei.



quoddam mirum, cum vniuerso Ecclesie thesauro, fugam meditaretur. Iamque eò rabies eorum peruenerat, ut quidam ex eis, qui antistitem iam trucidatum existimabant, vnum ex eis cubicularijs, foedis vulneribus miserè laniarent; cum ecce vir sanctus contempto mortis periculo, in mediam turbam prosiliit, ut ab alijs sibi charissimis, suæ potius vitæ interitu, mortem propulsaret. Cernens autem eum ille idem, qui ministrum eius mortiferis concisum vulneribus, penè exanimem reliquerat, diabolico furore plenus, euaginatam eumque cruentam adhuc gladium, summis viribus in eum vibrauit, sed ictus quanquam sanè validus, nullam omnino lesionem, cunctis ad tantæ rei miraculum stupefactibus, viro sancto inferre valuit. Neque tamen potuit concitatus semel furor, tam præclaro etiam miraculo sopiri: sed paulò post, coactis iterum peruersis conuenticulis suis, sese delusos asserebant, sensusque arte magica, actenebrarum caligine perstrictos fuisse dicebant, quod hominem illum vivere permisissent, qui honorem ipsorum, dignitatemque urbis violare non metueret. Consultatione itaque nefaria habita, certa dies cædi eius destinata est, & ne qua ratione ab audaci facinore tardarentur, statutum est ut singuli certam vini mēsuram exhaurirent, quo mente magis effrænata sanguinem funderet. Estque præterea inter ipsos sancitum, ut quicumque decreto huic non obediret, domus eius, totaque suppellex direptioni subiaceret.

Nonus in eum  
tumultus  
excitatur.

Adfuit interea dies præfixus, cum subito ciuitas immensis clamoribus perstreperere coepit. At lacer antistes, comperto nefario eorum conatu, quod



no, quod fratres eius ecclesia eiicere vellent, subridens ait: Plantatio quam plantauit pater celestis, eradicari non potest. Ipse ramen eorum furori cessit, & in suburbiū ciuitatis, ad Abbatiam S. Iohanni sacram cōcessit. Inde Hallam, ad quoddam episcopatus sui castrum, sed ab inimicis preoccupatum inuenit. Indè omni humano auxilio destitutus, totus ad opem diuinam de more confugit: qua tantum valuit, vt omnem voluntates repente immutata fuerint: vt qui ad perimendum venerant, ex hostibus, in defensores prodirent. Et has quidem aliasque graues sanè molestias, anno pontificatus sui tertio pertulit, quinque verò alios, quos in ea functione cōpleuit, maiori tranquillitate, ac fructu animarum vberissimo, exegit. Cū enim & nominis eius fama, bonusque odor virtutum manaret quotidie latius, vndique ad eum concursus fieri cōceptus est: vt à viro tanto, tantaque constantia, in rebus dubijs & afflictis, & consilium & opem peterent. Quibus ille sanè benignè admodum consulebat. Bonos incredibili amore complebatur, schismaticos, & sanctæ Ecclesiæ perturbatores persequabatur, pauperes & orphanos, viduasque singulari patrocinio defendebat, ac larga manu sustentabat: denique cunctis se asabilem accomem exhibebat.

Inter hæc fuit ab Innocentio, qui ad summi pontificatus honorem ac regimen legitimè electus fuerat euocatus, vt secum vna Romam pergeret. Quidam enim Petrus Leo dictus, vi acque armis sanctam sedem inuaserat, humanis que viribus fretus, contra Innocentium sese muerat: vt si fortè vis inferretur, eum summa contentione propulsaret. Itaque vt sacrilegum illū,

M m m 5

quem

Petri Leonis Antipapæ nefarij actus.



Innocētiū,  
in sua sede  
collocatur.

Fortēiter  
vir sanctus  
migravit ē  
corpore.

quem spiritalis gladius quo iam sapissimè concussus fuerat penetrare non poterat, materialis tandem conficeret, expeditione in Italiam facta, Romam peruenerunt, Papamque Innocentium, inuitis hostibus & aduersarijs, in sancta sede collocarunt. Eo negotio feliciter peracto, Nortbertus Parthenopolim reuersus est: vbi non diu post, graui ægitudine correptus, eadem post menses quatuor penitus confectus, è vita migravit, anno Restauratæ salutis, millesimo centesimo trigesimo quarto. Octauo Idus Iunij. Pontificatus Innocentij quinto, regni verò Lotharij nono. Corpus eius diebus aliquot inhumatum, in maximis æstatis caloribus, ab omni corruptione ac foetore illæsum permansit: ac tandem cum multis suorum lachrymis, præ desiderio eius fufis, ante Altare Sanctæ Crucis, in medio monasterij sepultum fuit. Indè verò post annos aliquot, vt tanti Patris memoria perpetuè ante oculos eorum versaretur, in claustrum illud transtulerunt, vbi tumulo honorificè adornato conquiescens, diem certa resurrectionis & gloriæ spe expectat nouissimum.

## VITA S. PAVLI, ARCHIEPISCOPI

C. Baro. an.  
natum to 3.  
& in not.  
mart. Rom.

Constantinopolitani, contra impietatem Arianam bellatoris egregij. Martyrium subiit, anno Domini, 355. Arbetione & Lolliano consf. qui fuit liberij Papæ 4.

7. Iunij  
Anno Imperij eius 9.  
& præced.

Constantio Constantini Magni filio\* regnante, cum Ariana persecutio acerrimè in Orthodoxæ fidei cultores defauiret, Alexandro Bizantinæ vrbis antistiti felici morte subla-